

## PROPHASIS.

---

Cunctorum Plasmator Deus, ut totius Mundi machinam miro construxit ordine. (Genes 1.) ita omnia inferiora suo ordine gubernanda praecepit (teste Apostolo 1. Corinth. 14.) Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis. Ubi enim ordo non est, ibi est confusio (gloss. in Authen. de Haered. et Falcid. §. Inordinatum.) qui si in omni loco, maxime in hac inelyta CC. DD. ICTorum Domo servari debet. Domus enim ICTi (si Lucio Crasso apud Ciceronem Lib. 1. de Orator. credimus) totius Civitatis oraculum est, tam divini, quam humani juris doctissimum; in qua omnia ad amussim, omnia ad normam aequitatis, praxis antiquae et laudabilis consuetudinis, quae vim legis habet. (can. Consuetudo. dist. 1.) peragi debent. Quod ut exactius fiat statuta sequentia ab omnibus et singulis Domum hanc inelytam CC. DD. ICTorum nunc et in futurum Inhabitantibus sacrosancte et inviolabiliter servanda sunt.

---